

Σ. Θ!

EXPOSITIO MEDICO-CHIRURGICA
CASUS

DE

POLYPO NA-
RIUM AQUOSO,

QUAM

Favente Summo Archiatro,

Consentiente Inclyto Ordine Medico in Celeberrima
Academia Tubingensi,

PRÆSIDE

Viro Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo,

DN. ELIA RUDOLPHO CA-
MERARIO, Phil. & Med. Doct. ac Pra-
xeos Prof. Ordinario, Facult. h. t. Decano, Consiliar. &
Archiatro Würtemb. Dn. Patrono & Præceptore suo
Colendissimo.

*Publico Philiatorum Examini
submittit*

SALOMON BRAUN, NEROLIN-
GA-RHÆTUS,

Addiẽm Novembr.

H. L. Q. C.

TUBINGÆ,

Literis ROMMEIANIS, ANNO MDCLXXXVIII.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30767817>



Σὺν Θεῶ.

C A S U S.



Hirurgus in Arte tam peritus quam exercita-
tus ducit ad *Medicum* Fœminam non infimæ
notæ, *Polyponarium* laborantem, petens ut
non solum medicamenta interna mali fonti
opponenda præscriberet, sed & quibus aut
medicamentis aut instrumentis malum tol-

lendum sit, suam sententiam exponeret. *Inspicit* Medicus
accuratè nasi interiora, cernit in dextra nare corpus mem-
branaceum ex fibrillis variè intertextis constans, albido-ru-
bescens, vasis minimis ad livido-coeruleo-ruborem ver-
gentibus, sed non multis hinc inde respersum, durum ad
primum contactum, non tamen renitens, sed molliuscu-
lum, doloris ferè non penitùs expers, non adnatum naris
inferioribus interioribus partibus, sed liberè fluctuans, su-
periori verò parti adhærens radice sive basi non tenui, sed
ampla. In mali principium & alia cognitu necessaria in-
quirenti Medico refert *Ægra*, biennium circiter effluxisse,
cùm aliquando ex nare hac dextra emungeret crustam san-
guineam, progressu temporis unà ichorem cruentum, tan-
dem purulentum, sed modicum & absque foetore, cum ar-
doris tamen aliqualis & rosionis in nare sensu; Applicasse
consultum *Tonsorem* ipsi ulceri pulverem nares vehemen-
ter adstringentem, contrahentem & penitùs exsiccantem.
Brevi pòst tempore recruidisse ulcus cum majori dolore &
fluxu, ab alio *Chirurgo* per Topica, absque tamen inter-
nis, ferè consolidatum; per bimestre verò sensim sensim-

que excrevisse ex isto, ubi ulcus erat, loco hanc permole-
 stam sibi excrementiam, respirationi difficultatem inducen-
 tem, appetitum imminuentem, hypochondria distenta,
 cardialgiam, lassitudinem aliqualem, quæ cætera nihil p. n.,
 junctum habentem; se enim negotia obire domestica, al-
 vum habere apertam, urinam emittere debitè, haud rarò le-
 viter sudare, menstruo tempore purgari, solito tamen par-
 cius, ætatis esse 34. annorum. Ex pensitatis actionibus,
 vultu, habitu, prægressis & aliis colligebat Medicus sangui-
 nis particulas balsamicas, rosidas, volatiles, sed ad acorem,
 acrimoniam, visciditatem, nimiam fibrositatem, fixitatem
 accedentes. Ad *Leges Methodi Speciales & Cautelas* per ex-
 perientiam variam sibi formatas singulares deliberationem
 secum, quæ externâ etiam adhibito Chirurgo, instituens
 suasit assumendam ʒß *Spec. Talapp. Myns.* biduo abinde *Ve-
 nam secandam* brachii. Diebus 4. elapsis cum lenius exic-
 cantia non sufficere, gravius cum corrosione agentia peri-
 culo non carere, constrictionem per setam equinam, sive
 filum sericum ceratum, excisionem propter baseos ampli-
 tudinem vix proficuum aut possibilem judicarent, conclu-
 sam actualem inustionem præsentem & dirigente Medico exe-
 quitur Chirurgus, capite reclinato ægræ, nari dextræ im-
 mittens cannulam argenteam inauratam continentem po-
 lypum, post *ferrum* ad id commodè fabricatum, ut totam
 tangeret excrementiæ superficiem inferiorem, probè *igni-
 tum* applicat. Et ecce! mox Lympha s. serum profiliens
 cum strepitu ignem ferri multum extinguit, polypo concide-
 dente, & præter membranulam tenuem, sed dicto loco ad-
 huc hærentem nihil monstrante; statim aliud, quod ad ma-
 nus erat, cauterium ignitum terna vice applicari suadet Me-
 dicus, quod ad basin usque applicat Chirurgus, ut corru-
 gatæ illius membranulæ portio extrahi potuerit, reliquum
 verò escharæ implicitum remanserit. Applicata mox tu-

runda imbuta solenni postambustionem talem artificialem medicamento, album. ovi & ol. rosato, postea oblita digestivo & tandem absorbente, exsiccante ex ceruss. plumb. & lithargyr. Isto curationis tempore sq. pulveris manè & vespèri ꝑ. cum vehicul. 4. cochl. quantitat. exhibita fuit: ꝑ. Diaphoret ꝑ. tial. ʒj. Ocul. ꝑ. præparat. Ebor. phil. calcin. Tab. manus Chr. perlat. an. ʒij. Herb. agrimon. c. t. ʒiʒ. M. f. pulv. ꝑ. Aq. agrimon. plantag. hyperic. an. ʒij. Syrup. byzantin. ʒvj. M. D. Decendio elapso linimentum ex flor. balaustr. tut. præparat. plumb. ust. & succ. plantag. applicitum fuit. Quibus *malum penitus cessit*, ut per plures jam annos alens in brachio fonticulum immunis ab hoc & alio malo hæc Fœmina degat.

Σ. ©.

PROOEMIUM.



Uàm variis, iisque tam sævis ac fœdis pulcherrima & admiranda corporis Humani Machina quotidie deformetur morborum generibus, illi non solum, quibus mala hæc in semetipsis conspicienda, verum & hi quibus deformitates hæc curandæ veniunt, exactè norunt,

illique cum notabili sæpe damno experiuntur. Maximè autem illa quæ faciem præ aliis corporis partibus fœdare ac deformare solent vitia, sequior sexus, quem præ reliquis mortalibus, tanquam privilegio singulari aliàs donavit natura, ut pulchritudinis gloria excellat, à se amoliri & avertere studet. Inter quæ & hic quem Tibi, *Candide Lector*, ab Excellentiss. Dn. *Præside* benevolè mihi communicatum sisto, annumerandus affectus. *Polypus* nimirum, qui in genere consideratus haud infrequens, cum ista tamen, qualis in proposito casu, determinatione rarissimus est; quotquot enim *Auctorum* scripta hac de materia consulere licuit, vix apicem hujuscemodi Polypi, qualem Casus præfixus describit, me invenisse, doctiores me norint. Species, de quâ in *Thef. 12.* infra, non penitus cum nostra convenit. Et *Paræus in Operibus suis Chirurg. Lib. VII. cap. 2.* Polypum Narium in quinque species dividit, quarum una l. altera,

an aliqualem cum casu descripto convenientiam habeat, atque ita hic ad quinque *Parai* species, referri posset, infra de *Differentiis* patebit. Exponam autem hunc *Casum Specialem*, quà singula ad *Theoriam & Praxin* requisita, interspersurus plura *Polypum* in genere consideratum concernentia. *Faveat Summus Archiater conatibus solummodò ad Altissimi Nominis sui gloriam, proximique salutem susceptis.*

T H E S I S I.

Polypi naturam atque curationem indagaturus, haud malè egero, si nomenclaturam ejus breviter excussero, hujus enim cum re ipsa congruentia non parvum ad ipsius enodationem adjumentum afferet. Quod ergo *Originem vocis* concernit, facilè patet *Grajis* natalia sua debere atq; descendere à *πλὺς* multus, & *πῆς* pes, quasi multiples; quia radice s. pediculo, nunc uno, nunc pluribus, narium offi ethmoidi vel interioribus lateribus basi sua adhærere, seseque iis implicare videtur. Nomen itaque accepit à Polypo pisce quodam marino, vid. cit. *Paræus, Pulverinus in Medicin. Pract. c. 31. Paulus Lib. III. cap. 24. Celsus Lib. VI. c. 8. Melchior Sebizi in Specul. Medic. Pract. T. I. Part. II. Sect. VII. c. 4. Camerar. memorabil. cent. 20. num. 78. Lexic. Castell. Renov. Brunon. &c.* idque primò ob similitudinem cum Polypo, ait enim *Rondeletius in Method. Curand. Morb. c. 64.* Est autem ventri Polypi similis. Nam id, quod pendet figuram habet rotundam & facilè in varios colores mutatur, Polypi modo; *secundò* ob pedum multitudinem & figuram, hinc *Albucaasis* Polypum cum scorpione comparare non dubitavit; *tertiò* ob carnis consistentiam & varietatem, quia modò durus, modò mollis, modò hunc, modò alium, uti in differentiis videbimus mentitur colorem. *Ephemerid. N. C. Ann. III. Observat. 102.* mentionem faciunt Polypi mineralis, h. e. lapidis miri, qui in aquam immissus incipit in margine lucere, & lucidam, sed succineam umbram aquæ communicare; pauculo temporis spatio variegatos colores, succineum, amethystinum, nigrum, album, nebulosum & quasi fuliginosum præsentat, tandem totus lapillus antea opacus in aqua vertitur in translucidum perspicuum lapillum, coloris fulvi, succinei; Aqua exemptus per omnes recensitos colores retrogrado motu ad pristinum statum redit. *Quartò* ob actionum similitudinem, quia Polypus piscis, testante *Fabric, ab Aquapendente Chirurg. Part. II. c. 25.*

piscatorum retibus inhærere solet, pedibusque sese infigere, non aliter ac quomodo excrescentia illa Polypus dicta cavitatibus narium adhæret; *B. Sebizius* hæc de actionum similitudine Polypi piscis cum narium Polypo habet: Quemadmodum is (scil. Polypus piscis) cirrhis, l. ut alii habent, acetabulis suis manus venantium apprehendens ulciscitur, sic & noster Polypus laborantium nares obstruit, ut & ægrè respirent, & debiliter olfaciant, & malè loquantur. Vocatur aliàs *Celso* & *Feyneo* caruncula. *Rondeletio* tumor, *Paulo* tuberculum, *Aliis* excrescentia narium, aliis præsertim *Fernelio*, *Savonarola* Sarcoma, idque ideò quia à Polypo magnitudine & forma saltem differat, vid. *Feyneus Med. Pract. L. II. c. 36. Platerus Tract. de Vitiis c. 3. de Extuberantia generibus p. 212. supra citatus Pulverin. Sennertus Pract. Lib. I. Part. III. Sect. IV. c. 3.* Est quidem aliquando Polypus sarcoma, cum carnosus est, sed non contra. Distinguunt polypum à sarcomate ob carnis s. substantiæ duritiem baseos s. radicis tenuitatem & exiguitatem, certam figuram & dolorem cum livore aut fusca nigredine, & quia Polypus piscis polypi similitudinem quodammodo habet, quæ in sarcomate non requiruntur. Non etiam negligendum esse puto, quod *Auctor definitionum Medicarum* attendit, differre nimirum *σάρκωμα πολύπυ μετέθει, καὶ κατασκευῆ.* Vid. *Ephemerid. N. C. An. IX. Observ. 26.* Non tamen errare videntur, qui ob generationis & curationis convenientiam s. exiguum discrimen, in Praxi utrumque tumorem curandum simul describunt. *Arabibus* Rhagadum & Hæmorrhoidum nomine venit, quod scilicet excrescentiæ illæ longæ in naribus instar hæmorrhoidum ani sint. *Fabritio ab Aquapendente* Polypus Noli me tangere dicitur, quia Polypus præsertim ille, qui colore livido, dolorosus est & durus, aut magis canerosus, ne Chirurgica manu tangi, multò minùs inuri, excindi, vel alio instrumento secundum ejus mentem eximi debeat. *Jobo à Meekren* inter alia bestia, idque, uti verba ejus in *Observat. Medico-Chirurgic. c. 9. p. 67.* sonant; quia bestiæ instar sæpius nullo modo, l. tn. difficillimè compeisci & subigi potest. *Germanis* ein Nasengewächs vocatur. In proposito Casu non Polypi solùm nomen imponitur Affectui, sed & τὸ *Aquosum* additur, quia aqua repleta erat ista excrescentia membranacea.

II.

Quà *Idéam* referendus est Hic Affectus specialis ad Morborum

rum classem, & quidem Conformationis s. Organicorum, quò ex-
 crescentiæ locandæ, & inter species horum Morbus est aucti nu-
 meri, magnitudinis, tumor nim. ac obstructio, quia meatum na-
 ris dextræ naturaliter patulum, cavitatem illam ordinariam opplet,
 obstruit, angustat. Imò haud rarò non solum binas nares implet,
 sed & dum in palatum descendit, respirationem intercipit; loque-
 læque obstaculo est, aliquando ægrotos penitus suffocando morti
 tradit polypus. Vasorum p. n. apertio finiul, uti patebit, adest.
 Cum v. ab ulcere, quod Ægra Medico inquirenti referebat, ante-
 quam polypo laborare inciperet, crustam, ichorem, pus cum ali-
 qualis ardoris & rosionis sensu, evidentissima ulceris signa, se emun-
 xisse, dicens, ortum ducat, solutæ unitatis morbus præcessit &
 & jungitur. Vix erit polypus quem non ulcus, ad minimum levis
 ex coriatio narium præcesserit; & plerumque recentibus ulceribus
 neglectis, vel malè curatis, tractatisque excrescunt & in polypum
 abeunt. Polypus ipse nec morbus nec symptoma est, sed causa mor-
 bi. Sunt, qui symptoma retentorum adesse hîc censent; non malè,
 sed primaria Affectus denominatio ac Idéa inde peti non potest.

III.

Subiectum Affectus enodandi est Nasus, cujus structuram ex
 Anatomicis repetere supersedeo; Consulantur Illi, præsertim Exc.
Hofmann de Faciei Promontorio, Cl. *Bartholin. de odorat. Organo*, &
Accurat. Viensent de Nervis. In specie verò, sicut polypi in genere
 considerati plerumque Subiectum est, ita hîc Membrana illa narium,
 singulas nasi partes cingens, involvens, vestiens, glandulosa, quæ
 dilatatur, augetur, extenditur, serum aliàs revehendum aut in ca-
 vitationem narium deducendum pro effluxu detinet. Caro illa papil-
 losa, sub interiore narium tunica sita, (quam & Isbrandus Diemer-
 brœk, olfactus organum esse, statuit; sed quæ Stenoni non nisi gland-
 ulosa est, utpote è qua secretus à sanguine humor per exigua excre-
 tiora Vasa emittatur) polyporum plurimum est subiectum. *Celeb.*
Drelincourtius narium polypum excrescentiam duræ matris esse in
Colleg. Pract. M. S. asserit. Experientia docet materiam morbificam
 in morbis etiam gravissimis, Lue Venerea, febribus malignis &
 peste ipsa ad glandulas decumbere & in illis tumores, in ulcera abeun-
 tes, haud raro gignere; glandularum nim. spongiosa, laxa exilissi-
 mistamen meatibus prædita substantia promptè non tantum susci-
 pit,

pit, sed etiam retinet lympham degenerem, ut per venas non refluens humor ex facili in glandulis hæreat & dicta mala producat. vid. Disputat. de Lympha & Glandul. Patholog. Considerat. Helmstad. habit. Thes. XVIII. Nec vasa tam sanguiveha quam Aquæductus narium in Affectu hoc aquoso libera sunt, & quidem, (quia meo iudicio ex dicendis unum certum vasorum genus læsum determinare in corpore vivo sectioni non subjiciendo non licet) singula illa lympham, serum, aquam s. mucum vehentia, lymphatica nim. vasa, vasa vehentia, de quibus *Land. Hoffmannus in Horne*, excretoria, tam breviora, s. glandularum ostiola, quam longiora Stenoniana, canaliculis. ductus muciferi, ductus emissarii & aquosi. Cum frigidiores, seniores hyemali præsertim tempore stillantem ex nare aquam patiuntur inviti, fomenta polypo suggerere talem censent adstringentibus, revellentibus, vel exsiccantibus curam instituendam suadentes. vid. Th. Barth. Epist. Med. Cent. III. ep. 58. Non videtur autem *Quibusdam Auctoribus* opus esse vasa hæc lymphatica de polypo in genere & omni accusare; quia (vid. accuratiss. Loffium in dissertat. de glandul. in genere) glandulæ illæ interiora nasi obsidentes multò propinquiorem & evidentioram monstrare viam censent. Verùm in nostro Casu ductus illi accusati immunes non sunt, ut in *Causar. Expositione* patebit. *Subjectum Causale* est hic Nasus potissimum & quidem membrana illa glandulosa cum vasis accusatis antè, & accusandis infra. Caput plurimis glandulis & lymphaticis vasis obsitum, Cerebrum itidem pro polypi Causali Subjecto non Pauci habent. Sed dubitant de hoc *Quidam*, primò quia nulla nos cogit necessitas, sed ex præcedentibus planè tutior & propinquior via patet; secundò quia multi adhuc de vasis lymphaticis in cerebro existentibus dubitant. Lympham in Cerebro assentiente *Excellentiss. Dn. Præside* in disputat. de lacrymis th. 9. p. 12. reperiri nemo negabit, sed ductus lymphaticos eosque è Cerebro prodeuntes *Quidam* asserunt, *Quidam* rejiciunt. Extra autem cranium statim vasa lymphatica iterum se conspicienda præbent variis ramis, utroque in latere, jugularibus venis & carotidibus stipata. vid. *Nobiliss. atque Excellentissimi Dn. Zelleri Med. D. atque Profess. Celeberr. Sereniss. Detingens. Principis Archiatri Dexterr. Dn. Patroni atque Præcept. Cœmendiss. Disput. pro Loco de Vasor. Lymphat. Administrat. p. 4.* *Attamen Senex noster Hippocrates Popular. VI. Sect. V. oper. Tom. I. p. 809.*

scri-

scribit: Natura ipsa sibi in corpore toto exspirabili & inspirabili aggressiones invenit, & nullo magistro usa, ea quibus opus est, facit. In statu nim. præter naturali ductus, meatus, sæpè formantur naturaliter absentes, non patuli, quod & Excellentiss. Dn. *Præses* in amplissima praxi sua centies expertus est, ubi natura supposito semper statu p. n., vias aliàs invias permeabiles ac patentes sibi fabricavit. Consultantur *Ephemerid. N. C.* in quibus hinc inde plurima recensentur exempla. In proposito autem Casu Cerebrum ego penitè absolvo, nec subjectum Causale fuisse censeo, cum nec causarum nec effectuum tanquam signorum fons illud affectum, sed liberum potius & naturaliter constitutum fuisse doceat. M. S., ventriculum & viscera non penitus hinc immunia, Subjectum tamen potissimum Causale non constituisse ex dicendis patebit.

IV.

Causa Proxima & Immediata Polypi, in Historia descripti, est serum, lymphæ s. aqua in membrana p. n. dilatata, aucta & excrecente hærens. Secundum *Auctores* aliquando, dum polypum in genere considerant, serum & sanguis ob solam mucositatem, visciditatem, fibrositatem, in glandulis subsistunt & talem tumorem, talem excrescentiam sive polypum producant. Aliquando ob succi nutrientis quantitatem, luxuriam & abundantiam, polypus s. sarcoma oritur; quod prolixè satis *Platerus in Tract. de Vitiis Cap. III. de Extuberantiæ Causis p. 288.* describit, dicens: Succus nutriens singulis corporis partibus nutriendis, idoneus, ex sanguine qui illis distribuitur & apponitur, assimilaturque genitus, sicuti si moderatus & laudatus est, partium substantiam alendo, eam in sua mediocritate conservat, ita si quantitate s. qualitate peccet, pro horum ratione nunc generalem aliquam extumescentiam, nunc particulares tumores aliquos producit. Quod duplici nomine potissimum molitur; vel gignendo aliam veluti partibus substantiam, l. eam saltem adaugendo. Modum generationis & productionis ibid. describit. *Fabrit. ab Aquapendente, Rondeletius, Feyneus, Tulpius, Riverius, Savanarola, Aëtius &c.* humidam, crassam, viscidam & flatulentam materiam, è Cerebro immediate defluentem hinc accusare volunt; *Jenstonus in Syntagm. Univers. Medic. Lib. III. Tit. VI. de Narium morbis & Symptom. cap. 1.* sequentia de Origine Polypi habet: Oritur Polypus ab humoribus viscidis, pituita imprimis sanguini

guini permista, quæ è Cerebro ad nares exulceratas defluens, ulceribus inhæret. Et *Alii varii Auctores*, vid. & *Sebizius l. c. de Polypo*. Visciditatem mucosam, fibrositatem luxuriantem liquorum tam nutritiorum, quam aliorum non rarò ad Polypi generationem conferre, nec in genere Cerebrum semper liberum censemus, in individuali v. hujus loci Polypo ante dictam accusamus *Causam*. Cum enim ex causa naso propria (quod actionum corporis naturalium, vitalium & animalium vigor tam præcedens, quam junctus, excretiones naturales non subsistentes, qualitates non mutatae in cæteris partibus docent) sive ea fuerit interna, sive externa, sanguis pro nutrione propria alluens non debite assimilatus, reliquus non debite revector fuerit, serum hinc sive revehendum, sive excernendum unâ cum sanguinis portione substiterit, mucus naturaliter oblinere debens defecerit, vel potius heterogeneis infectus fuerit, sordes Archeales genitæ excoriarunt, exulcerarunt nasi partes interiores, ulcere non ad Artis Leges, ut patebit, tractato, vasa ista in priorithesi accusata serum non revexerunt, non evexerunt, sed occlusa serum, ubi minor est resistentia, adegerunt, elabi, exstillare, plorare, effluere concesserunt, fecerunt, in membranam, quam non solum serum hoc dilatavit p. n. & extendit, sed & sanguis viscidior, fibrosior sensim sensimque per vasa itidem sibi propria læsa elapsus & appositus auxit, & ita vesicam s. sacculum membranaceum aqua repletum formavit ampla præditum basi, liberè fluctuantem. Ubi cartilaginea, glandulosa, carnea, scirrhusa, cancrosa, aut mollis, laxa est polypi textura, substantia, consistentia, non simili semper modo constituta est aut agit causa ipsum produciens. Quæ autem prolixè deducere noster propositus scopus non concedit.

V.

Causas Mediatas Proximiores, quæ *Consistentiam*, constituunt, Res in Casu, hujus dissertationis Themate, *Humorosa* s. *liquida*, potissimum sanguis & serum, lympham modò magis, modò minùs mucosa naturaliter nares oblinens. Quæ *Ladendi modum* dum peccant: *Quantitate deficiente*, lympham modò dicta: *excedente* humores devii degenerantes à statu naturali. *Qualitate*, viscida fibrositate, luxuriantem concretescibilitate (liceat ita loqui,) imprimis *Motu imminuto* & *Loco*. Licet enim imminuti Motus vitium & Loci pro uno haberi soleant, formaliter tamen differunt in loco morari, & ad locum sive ex

loco non debite moveri. Ad Polypum in genere cudendum, quia varius est, varii etiam laedendi modi sive gignendi qua causas mediatas proximiores concurrunt: Vitium nempe quantitatis, qualitate debite se habente, uti diximus ex *Platero*, Vitium qualitatis tam irreducibilis, quam reducibilis, ubi non nuda qualitas, sed particulæ acres, acidæ, falsæ, salinæ coagulatae, reverberatae, austeræ, fixæ, serosæ, crudæ, viscidæ, crassæ, terrestres prædominantur, balsamicis verò roscidis & volatilibus subjugatis. Accusantur sanguinis & succorum naturalium particulæ modò dictæ, non solum, quod M. S. nimiam fibrositatem & visciditatem inducant, sed quod laudabiles, sulphureas, balsamicas, roscidas, volatiles, particulas, a core & acrimonia sua inficere & obtundere, in motu impedire & detinere valeant; Tales particulæ antè dictos inficiunt, tingunt humores ut à crasi, texturâ sua degenerent. Vitium motus tam nimii orgasmici dum huc irruunt, quàm & quidem potissimum immi nuti, ac Loci, dum subsistunt.

VI.

Generati fuerunt accusati isti Liquores, Nasi vitio & culpa. Hic enim in superiori præsertim ac interiori parte læsus sanguinem advectum non debite assimilavit, ipsum cum sero in revectione impedivit, unde illa quantitatis, qualitatis, subsistentiæ p. n. vitia. Et quidem potissimum in nasi dictis partibus causam genitarum illarum Rerum p. n. hæsisse, eamque potius externam ab aliqua violentia fuisse, licet *Ægra* non retulerit, concludit Medicus, quia negotia tam ante quàm cum affectu, etiam sub ulcerationis tempore obivit domestica, alvum habuit apertam, urinam, sudorem emisit debite, menstruo tempore purgata est, aliasque functiones peregit naturaliter. Appetitus imminutus, hypochondria distenta, cardialgia, lassitudo aliqualis non tam ventriculo aut heterogeneis in M. S. viscerum vitio genitis, quàm mœrori, anxietati de ulcere & excrementa primario adscribenda sunt. Quin tamen ob Temperamentum ad melancholicum accedens, dictumque anxium mœrorem etiam aliquid labis ventriculus & viscera hincque Ma. Sa. contraxerint, quin sanguis ad nares alluens & revector ulceroso caractere aut fermento aliquo tinctus fuerit, non dubitamus; Sed hæc non primariæ fuerunt Causæ; sicut nonnunquam Polypus primario à Mæ. Sæ. & viscerum labe gignitur, non debite generantium aut depurantium sanguinem.

VII.

Causse Mediate Remotiores, ad dictarum caussarum, vel generationem, vel cumulationem, vel agitationem, facientes, sunt *Res vel Naturales*, vel *Non naturales*, vel *Præternaturales*. Inter *Res Naturales* est *Temperamentum* *Ægræ Melancholicum*, sive particulæ sanguinis balsamicæ, sulphuræ, roscidæ, volatiles, ad acrimoniam, fixitatem, visciditatem, serositatem declinantes. Accusare & *Astra* solent, de Polypo in genere dum scribunt *Autores*, quia observarunt in talibus ægris, insignem alterationem & mutationem, præsertim à mutationibus Lunæ, ubi hujus luce crescente & polypus augmentum capiebat, decrecente verò & polypus decrecebat. *Astra* cum miras in macrocosmo pariant mutationes, nil obstat quin non in microcosmo tales edant, quas tamen non tam in sano & naturali statu nos sentire fateor, quam corpora morbida tenellisque fibris prædita, ut Valetudinarii omnes, Epileptici, Scorbutici, Cachectici, Hydro-pici, Catarrhis Obnoxii, maturè sentiunt alterationes Aëris; asthmatici ordinariè sentiunt ex acerbationes tempore hyemali, imò & *δυσκοιλία* laborantes vid. Cl. *Wedelius* in *Physiolog. Reformat. Cap. VII. de Vita modis* p. 162. Maximè omnium vitio quodam affectæ partes, sive à fractura, sive à vulnere, s. ab alia quadam læsione si membrum vel corporis aliqua pars debilitata est, sentiunt horum vim, gestantes secum hygrometrum, longè certius aëris statum exprimens, ac alia quævis machina artificialis accuratissima. Enim verò solam Lunam humorum nostrorum matrem ac dominam asserere, atque huic omnes corporis nostri mutationes alterationesque adscribere, dubitant, quia testante *Ingeniosiss. & Accuratissimo. Sturmio Philos. Celebrissimo in discursu ad Physicam suam Conciliatricem habito & ab Amico quondam mihi communicato*, Part. Special. Sect. II. de Mundo Sub-lunar. s. *Macrocosm. cap 3. de Luna & corporibus opacis* §. 7. De Lunæ & Planetarum influxu si quærat, respondemus, quod Luna omnem suam habeat virtutem, à recepto Solis lumine, quibus ergo viribus pollet Luna, iisdem etiam reliqui gaudeant Planetæ necesse est, imò eo majoribus, quo plus luminis solaris accipiunt. *Ætas* juvenilis & senilis huic affectui potiss. præ aliis conveniunt, in nostro casu media, & *Sexus* sequior, licet sexus uterque huic malo sit expositus. *Vita sedentaria*, otiosa, quieti dedita, humorum crudorum accumulationi plurimum velificatur. *Habitus corporis* obesior præ alio,

licèt quis aptus sit, accusandus esse videtur, ceu qui per se viscidior, fibrosior, crassior sanguinis texturam importat. Nec & hïc excludenda *dispositio hereditaria*, quæ tam frequenter in parte pathologica occurrit. Qualia enim sunt principia vitalia à parentibus communicata cum nato, talis quoque modus imprimitur ipsius vitæ. Quamvis n. non semper nati constitutio ex toto & absolute conveniat cum parentum constitutione; illud ipsum tamen fit ut plurimum & quantum in ipsis est. Non procul à proprio stipite pomacidunt. Sufficit & hïc ejusmodi semina occulta simul derivari in natum physicè, ut genium, idéam, simulacrum quoddam parentum referat. Et cum hoc maxima gaudeat latitudine, non mirandum est, diversimodè quoque id ipsum variare. Testatur id non solum similitudo faciei; Testatur idem gentilitius consensus in hæc l. illa parte corporis, ut dantur familiæ, ut plurimum sex digitos innatos propagantes, & inter se maximè convenientes, ut commune sibi quid servet, seu obtineat; Testatur illa sympathia communis, ut sæpè duo fratres, seu frater & soror uno eodemque tempore v. g. laborent variolis l. morbillis, m. dissitis locis degentes & hujus planè ignari, quando nempe à causa communi dispositio sanguinis morbosa se exerit. vid. *Celeberr. Wedelius in Physiolog. Reform. c. 7. de Vitæ modis p. 159. seqq.* confer. *Excell. D. Zelleri disputat. inaugural. sub Præsidio B. Dn. Metzgeri, Patroni atque Præceptoris quondam Colendiß. de Affectibus Hereditariis.* Tandem & propria *Nasi* nativa debilis ac tenera *constitutio* occurrit, quæ sæpius hujusmodi affectui ansam atque occasionem præbet, ut eò faciliùs & citiùs non tantùm pedem figere, sed & brevi temporis spatio in tam fœdum ac molestissimum malum excrescere possit.

VIII.

Inter Remotiores *Non naturales*, primò referimus *Medicamenta* à Tonsore, (damna à tali hominum genere quotidiana ferè non pauci deplorant ægri.) ἀμεθόδως adhibita. Mox enim nimis exiccantia, adstringentia, nimis contrahentia applicuit, cum causa ulceris prius per abstergentia auferri debuisset. Novimus quidem, Recentiores Exercitatis. Chirugos magna severitate & serio mandato exesse jubere abstergentium usum. Verùm, sicut magnæ laudes ac grates debentur ipsis pro suppeditatione multorum Consiliorum in Chirurgicis & novorum & maximè commodorum, ita & dolendum,

Tantos Viros quo etiam Zelo ductos ut principia s. potius Hypotheses suas plerumq; magis Philosophicas quam medicas roborent, rejicere & tanquam inutilia imò noxia traducere ea prolixis verbis, quæ tamen reapse sæpius in usum deducunt, sed sub alio nomine, & alio agendi modi schemate. Certè in ulceribus curandis Ipsi adhibent, & Experientia adhibenda esse monstrat, talia medicamenta, quæ humores, particulas hanc vel illam superficiem, cavitatem, meatum p. n. illinentes, opplentes, detergunt, ut vulgò loquuntur, mundificant, asperis, duriusculis, acutis s. pectinatis ac scopalibus particulis sordes ex superficie & meatibus corporum, abradunt, auferunt. Ipsa medicamenta, quæ absorbendo acidum aut hoc l. illo modo juvare dicunt, hinc suadent, inter Abstergentia sunt, imò & adstringentia & exiccantia sed leviter, ut plantaginis, rosar. rubr. succus &c. abstergentibus etiam gaudent particulis. Causa non sublata ulcerum, istis nimirum sordibus istis ex ostioli vasorum exudantibus particulis, mucum naturalem aut lympham glutinosam inficientibus, depravantibus, sanguinem alluentem corrumpentibus, nec ulcera debite curantur. Quod plurima, & vel sola gonorrhæa laborantium ulcera testantur. Huc & locamus *Causam*, ut in Scholis loquuntur, *privativam*, omissionem nimirum medicamentorum internorum, quæ M. S. ut ex Thes. 6. patet, non penitus laudabilem, licet non primario peccantem, emendare, depurare, immutare ab heterogeneo fermento s. caractere liberare pro faciliiori & feliciori ulceris curatione debuissent. Quà reliquas *Res Non-Naturales*, quid peccatū fuerit, Historia non recenset, nec insigne illud erit, cum aliàs plures & insigniores corporis quàm interiora & actiones contigissent mutationes. Aliàs ad cudendum Polypum in genere consideratum haud parum conferunt, & quidem *Aër*, pro ratione corporis multis excedens modis, humidus, nebulosus, impurus, variis heterogeneis particulis tinctus. Huc etiam referri possunt Venti, quos Natura tanquam scopas quæ aërem inquinatum à purgantibus, quæ aliundè, contraxit, everrendo liberant, malignamque ejus diathesin pigritia accersitam, ventilando corrigunt, produxit. Hinc *Seneca* inquit: Ventos dedit Summus ille rerum Artifex, ad custodiendam Cœli terrarumque temperiem. Non autem sunt venti, à quavis horizonis parte venientes hac purgandi virtute, ex æquo præditi. Observarunt enim Auctores, Polypolos, Austro & Euro flante, maximè

strangulatus metu terreri; non solum, quia tum novæ distillationes sive potius novi affluxus, novæ sanguinis corruptiones, ingruant, quibus imbuatur atque extumescat polypus, uti *Feyneus Med. Pract. Lib. II. c. 36.* vult; sed dum Eurus spirat, qui Europæis valdè siccus est & frigidus, aër quia plurima corpuscula salina & terrestria secum fert, hisce infectus crassus & obscurus fit, atque hinc animantibus valdè noxius. Auster vero qui fere calidus, vaporibusque tepidis multis refertus, nec sanis multo minus ægrotis convenit. In Lesbo Insula maris Ægæi, flante Austro, Incolæ ægrotare Corotuffireve feruntur: at superveniente Aquilone protinus convalescere, scribit *Cælarhodigin. Lib. XX. c. 18.* Dum ergo impurus & crassus talis, miasmatis variis, spirante Euro & Austro, inquinatus aër, in angustas polyposi cujusdam nares irruit, non potest non suffocationis metus oriri, quia similem effectum sæpius in sanissimis videmus. Succedunt his *Cibus & Potus*, quantitate, qualitate & assumendi modo peccantes; Cibi in genere *δύσπεπτοι* & *δύσχυμοι*, sive concoctu difficiles, flatulenti, crudi, particulis scatentes acribus, acidis, fixis, similibusque quæ humores qualitate, quæ pollent, vitiosa, excrementitia induere solent. Vinum austerum, vappescens, cerevisia minùs defæcata, crassa, quibus omnibus ventriculus & reliqua viscera obruuntur, in actionibus suis impediuntur, debilitantur à tono suo dejiciuntur. *Quies* in excessu, *Motus* vero in defectu, uno verbo vita sedentaria, transpirationem & exhalationem fuliginum impediendo, atque ita saburram vitiosorum humorum cumulando, facit, ut humores hîc accusare soliti acrimoniam & visciditatem contrahant, tandemque in recensita mala & symptomata erumpant. *Somnus & Vigilia* modum excedentes, peræquè malum hoc promovent, quatenus ille humores vitiosos congerit, hæ vero spiritus absumendo, viscera debilitant & in actionibus ipsorum multum impediunt. *Excreta & Retenta* extra debitos vagantia terminos seu defectu s. excessu plurimum ad Polypi conferre generationem quis negaret? Imprimis cum naturaliter è naribus excernenda p. n. retinentur. *Animi Affectus* s. *pathemata*, quantum in immutandis spiritibus, humoribus ac solidis corporis humani valeant, ægri vix credunt, medici quotidie experiuntur Practici, deprehendentes decem ægrotare ex passionum animi culpa priùs, quàm unus ex inordinata victus ratione.

IX.

Inter *Remotiores Causas* Res Præternaturales, morbi Nasum infestantes varii tam Intemperiei quam conformationis, & Unitatis solutæ, ad generandum polypum magna vehementia & conatu concurrunt. *Riolanus in Enchirid. Anatom. Lib. IV. c. 6.* suppeditat morbos totius Nasi v. g. quando partes cartilaginosa inflammantur, contunduntur, exulcerantur, ossæ franguntur, omnes intemperie laborant, atque præsertim organicis, à prava conformatione, quando nasus est resimus, talis redditur frequenter ab externis causis, quod si talis ab ortu deprehendatur, tunc rectus & elatus formari potest; Nam ex *Platone* in Alcibiade, si tale vitium apud Persas Filiis regiae stirpis accessisset, tubulis in nares inditis sensim conformabant nasum, dilatatis ossibus cereis, adhuc, & cartilaginibus. Internæ intumescunt, tuberculis infestantur inflammatoriis, quæ in suppuratum abeunt; sed profundè in ossibus spongiosis & carunculis fædo & fætido ulcere afficiuntur, quod Ozæna dicitur; ipsis ægris & adstantibus molestum, & difficillimè curatur. Interdum ossicula corrupta emunguntur: si carunculæ sine ulcere, l. cum ulcere excrescant, fit Polypus, qui in nares descendit, l. lacunas supra palatum replens extenditur ad fauces. Verba sunt *Riolani*. Frequenter etiam ulceris & subsequenti polypi causæ esse solent, erysipelas sive inflammatio narium, catarrhi, varii externi capitis morbi, scorbutus, Lues venerea. Frequentissimè omnium externa violentia, ictus, casus, vulnera, contusiones. Prout casum *Marchette in Syllog. Observat. Medico-Chirurg. observat. 27.* describit: Observavi huiusmodi casibus læsis scilicet externis partibus, lædi quin etiam aurimum internas, in quibus progressu temporis ulcus suboritur, quo caro consuccrescit & polypus inde evadit. vid. & *Binningerus Observat. Cent. Tert. Observat. 69. Fernelius l. 6.* In Ægra nostra ulcus narium causa fuit. Hoc ulcus, etiamsi ipsa recordata non fuerit, absque quadam causa externa vix oriebatur, nam tum & antea nil p. n. in corpore demonstrabant actiones & alia. Illud autem externum vel fuit violentia quædam, à tali enim non semel ortos popos observavit Excellentiss. Dn. *Præses*. Vidit Baronem, qui ab imituosè in nasum externum adacto globo luteo contraxit Polypum intra Celeberrimorum medicorum & Chirurgorum conatus enis ipsum suffocantem; Vidit studiosum à Polypo ex læsione ab equo

calcitrante inflicta orto suffocatum &c. Vel acre quoddam minimorum forma naris internæ parti communicatum; sic ab Euphorbii pulvere à petulanti juvene loco errhini exhibito, à fumo arsenici, ❧ ii, sulphuris &c. à pulverisatione Zinziberis &c. ulcera multum negotii faceffentia tractavit Excell. Dn. *Præses*. Promovit dubio procul causæ externæ actionem *nativa* s. sensim *acquisita naris tene-ritudo*.

X.

Causarum hæctenus descriptarum lædendi modos Subjecto exposito qui applicabit, *Symptomatum* prægressorum & junctorum rationes facile reddet. Per Ulcus enim naris ipsius vasa læsa serum seu lympham transmiserunt, ductus quidam p. n. occlusi, quidam p. n. aperti sunt. Urgere tamen quis posset: Rruptionem neque vasorum neque etiam nervorum factam fuisse, cum doloris ferè expers affectus fuerit. Verùm solvitur haud rarò continuum in corpore absque dolore. Novimus quidem Recentiores dicere, in omni dolore fibras nerveas actu rumpi; quod tamen Aliis, qui solutionem continui non factam, sed fientem, non perfectam sed inchoatam causam doloris ponunt, non contradicit; alia enim est continui solutio, quæ tertium morborum genus constituit, alia quæ doloris causa est. Objectum enim fibrillis nerveis membranaceis improporionatum istas divellit, immutat, spiritus irritat, feroces reddit, extra ordinem agit, unitatem fibrillarum solvit, sed non ut in tertio morbi genere, in quo si dolor adest, non tam illa actualis sensibilis facta solutio, quàm fiens descripta in causa est. Nec hæc adversantur sententiæ, quæ causam ponit motum vehementiorem & dolorem inducere aptum. Talis enim improporionati objecti actio absque motu non fit, quem dum talem ponunt, ut dolorem inducere aptus sit, quid monstrant, quàm idem per idem. Respirationis adest difficultas, quia via per nares libera ad istam pnevmaticam pro vitæ sustentatione necessariam actionem medio necessario aëri, transitus intercluditur debitus; Appetitus imminuitur, quia liquoris gastrici spirituosa tenuitas, volatilis penetratio per metum, sollicitudinem, angorem de affectu molesto, diuturno, periculi non experte, imminuta fuit, hinc & cibi debitè subactio non fuerunt, unde tam à flatibus quàm humoribus p. n. hypochondriorum distensio & cardialgia, quæ tamen cum lassitudine, simul & potissimum ab anxiiis curis & Sæ. Mæ. aliquali infectione ob-

Causas

causas dictas oriebantur. Menses parci ob sanguinis texturam ad melancholicam, uti vocant, accedentem erant.

XI.

Affectus ergò hætenus expositus est obstructio naris dextræ, ab aqua, in membrana p. n. dilatata & excrescente hærente, orta.

XII.

Differentia Polypi sunt variæ, quas Laudatus *Melchior. Sebizius in Specul. Medic. Pract. T. I. Part. II. Sect. VII. c. 4.* in certas classes retulit. Ratione *substantiæ*, alius est mollis, durus, alius fungosus, carnosus, alius membranofus, alius aqua repletus quem hic exponimus; ratione *temporis*, alius recens, alius inveteratus & difficilis curatu; ratione *coloris*, alius albus, niger, alius ruber, alius lividus, cineritius, plumbeus, fuscus; ratione *situs*, alius in superiori, alius in inferiori parte nasi hæret, alius qui sursum per nares ascendit & in palatum, ad fauces descendit, adeoque increfcit, ut post uvam conspici possit, hinc respirationem impedit & non raro strangulatus & suffocationis metu terret, præsertim si in utraque nare talis hæret, ubi continuo toto hiare ore coguntur ægri, videatur supra cit. *Rondeletius*, ut & *Henric. ab Heer Observat. Medic. Lib. Observat. 28.* alius qui deorsum labitur & extra nasum ad labra propendet; ratione *magnitudinis*, alius parvus ac nasum non egrediens, alius adeò magnus ut cum insigni deformitate extra nares propendeat, quem *Jobus à Meekren in observ. Medico-Chirurg. c. XI. p. 67. seqq.* descripsit; ratione *figuræ* alius rotundus, alius oblongus, alius acinoso more ambitu conglomeratus; ratione *ἠθους*, ut *Sebizius* loquitur, alius levis, mitis, benignus, doloris ferè omnis expers, alius ulceratus, alius non ulceratus, alius malignus, dolorosus & secundum *Celsum καρκινώδες* ad cancri naturam vergens. Alius *radicem* s. basin tenuem habet, alius crassam, amplam. *Ambros. Paræus* l. c. polypos omnes in quinque species dividit, quarum *prima* membrana est mollis, longa & tenuis, relaxatæ & depressæ uvulæ similis, à media narium cartilagine pendula, humore pituitoso & viscido repleta. Quæ species ad hunc polypum aquosum, quem describo, nisi quod hic aqua tenui, limpida repletus erat, accedit. Quæ plura convenit, secundum quædam tamen differt illa vesicula à *cel. Bartholino* descripta *Histor. Anatom. Cent. VI. Hist. 37.* Ubi scribit: Continua coryza affligit nares integerrimi Viri *D. Pauli Moth*,

C
Archi-

Archiatri Regii, ætatis ingravescentis, ut per nares impedita via difficilis illi sit & somnus & respiratio. Obstructionis narium peculiaris causa & ratio est. Quotiescunque molestior est affectus, per narium cavitatem prolabitur vesicula oblonga, rotunda, candida, sero plena, quod exsudat; Ea verò vesicula membranosa sæpe in medio narium subsistit, sæpe extra nares propendet, levi digitorum impulsu sursum ad caput retruditur, naresq; deserit, sed circa os ethmoides & olfactum & spirationem impedit. Evacuatur subinde exstillante sero, & liberior redit olfactus. Polypi principium quò minus credamus, facit substantiæ diversitas & mobilitas. An duræ matris productio vel laxatio? Id sine insigni doloris sensu haud fieret, quo tamen caret Vir optimus. An vasorum Lymphaticorum progenies? Nec color abludit, nec contentus liquor, nisi alia subsit causa. Forsan idem cum polypo generationis modus. Observante enim *Riolano l. 4. Anthrop. c. 6.* in cellulis osseis spongiosis carunculæ exiles continentur, quas vidit prolongatas & ad imas nares prolapsas, sponte vero adstringentibus medicamentis supernè revelli. Vesiculas membranas sine dubio, loco caruncularum in hoc corpore natura efformavit, quæ sero ex catarrhoso cerebro defluente intumescant. *Vid. ibid. plura. Secunda*, caro dura est, ex sanguine melancholico citra adustionem nata. *Tertia*, caro est ex cartilagine prominens, teres, mollis, sanguinis pituitosi soboles. *Quarta*, tumor est durus, carni similis, qui cum tangitur sonum ex sese lapidis instar remittit: gignitur ex sanguine melancholico resiccato, scirrhi confirmati & indolentis naturam redolens. *Quinta* ex cancriosis multis ulcusculis velut coagmentata est, per transversam cartilaginis superficiem sparsis.

XIII.

Affectum hunc *exploraturus* Medicus non sola, quod *quidam* faciunt, Chirurghi nitebatur relatione, sed oculos Ipse applicuit doctos dilatata nare, manibus, (instrumento enim dilatatorio, ut in aliis Casibus quibusdam, hîc opus non fuit) deprehendens corpus membranaceum ex fibris variè intertextis constans, albido-rubescens, vasis minimis ad livido-cæruleo-ruborem vergentibus, sed non multis hinc inde respersum, quod polypum esse *conclusit*, observavit non fuisse adnatum naris inferioribus, interioribus partibus sed liberè fluctuasse, doloris ferè expertem, superiori parti adhæsisse radice sive

basi

basi ampla, quibus ab aliis speciebus differentibus *distinxit*, ulcus prægressum, corporis præsentem quâ singula statum, curam jam adhibitam probè pensitavit, undè *causas* supra dictas *eruit*. Durities ad primum contactum non tamen renitens, molliuscula textura *suspicionem* latentis excitarunt humoris, non tamen de eo certus fuit, quia de tali tenui lymphâ in corpore polyposo contenta rarissima testatur Experientia. In ipso vero operationis Chirurgicæ actu aqua profiliens ignem cum strepitu extinguens de se ipsa *testata* est. Ulcus prægressum emuncta crusta sanguinea, e ductus ichor cruentus, purulentus, cum ardoris & rosionis sensu monstrabat, non verò *maximè* fuisse modica quantitas & fœtoris absentia, ardoris lenitas significabant.

XIV.

Prognosticon formari potuit, debuit non certum de cura brevi, sed anceps; Ulceris enim progressi diurnitas, consistentia s. textura corporis polyposi membranacea fibrosa, color, præsertim vasorum intertextorum, basis ampla, locus, attactus conditio, curationis portendebant difficultatem. *Obicem* non levi polypi curationi objicere solet loci naturalis humiditas & perpetuus subiens Ær. Est aliàs Polypus quivis in se rarò *lethalis*, tamen sæpiùs *pertinax*, imò suffocare solet aliquando ægrum descendens per palatum. *Faciliùs* curatur, qui mollis, albus, indolens, in inferioribus nasi partibus hæret, recens est, à radice tenui dependet: *difficiliùs* vero inreteratus, ruber, lividus, durus, in superiori nasi parte hærens, ab ampla, crassa, basi dependens. vid. *Pulverin. Sennert. Sebizium. Jonston.* aliosque supra allegatos Auctores. Aliquando in pejorem morbum, *ancrum* nim. *transire* solet.

XV.

Excell. Dn. *Præses* pro desiderata hujus mali ablatione Consilium daturus cum *Chirurgo* quâ externa deliberationem instituit. Ne enim Chirurgus in Arte tam peritus, quàm exercitatus non solum hoc suscepit negotium, contra morem multorum, sæpè ultra quorundam Balneatorum & Tonforum ruditatem haud sapientium, qui difficillimas Chirurgicas operationes, imò internorum etiam morborum Curationes soli inconsultis Medicis aggrediuntur, seriùs (quod non fieri Threnodia cum *Minderero* conqueruntur quidam) ab iis, quibus potestas est, coercendi ac puniendi: Ita &

Medicus Ipsum à deliberatione quâ Externa (Interni Affectus ac interna medicamenta ad Manuales Operatores, quod nomen Ipsorum dicit, non spectant) non exclusit, Ipsique nè contra Leges Hodiernas ac Ordinationes Status confunderentur, operationem unanimi consilio conclusam commisit, quam tamen Ipse probè intellexit. In deliberatione autem de instituenda curatione ad Methodi legitimæ Leges, quas malè Quidam scioli Reformatores spernunt, rejiciunt, animo stitit remedia ab Auctorum & propria Experientia comprobata, ex utroque fonte Medico eruenda, ac singula pensavit cum Chirurgo Medicus.

XVI.

Remedia autem modò indigitata possunt & solent esse leviter, fortiter adstringentia, gradibus observatis, post escharotica mitiora, tandem intensiora: His non juvantibus sectio, tandem cauterium Actuale. Hinc Autores exiccantibus, adstringentibus, ut describunt, mitioribus epuloticis, primùm quidem curationem incipiunt; hæc si parùm aut nihil proficiunt, ad fortiora cathæretica, quæ vehementius adhuc exsiccant, transeunt; & si nec hæc sufficienter agerent, ad caustica & septica, ad mercurium sublimatum & arsenicum, quæ erodendo, urendo & putrefaciendo, carnem corrumpunt, digrediuntur. Maximè inter alia commendavit *Tulpius in Observat. Medicar. l. 1. c. 26.* Pulverem Vitrioli calcinati, vel radicem hermodactyli albi, aut melle rosato, aut aquâ sabinæ exceptum; addidit *Jonstonus* Oleum Vitrioli non correctum, lana, postquam caro scarificata fuerit, exceptum & applicatum vel turundam radicis gentianæ, ex præscripto *Hartmanni*, l. linimenta *Joëlis. Henr. ab Heer in Observat. Med. obs. 28.* Gentianæ pulverem siccissimum, cum scrofulariæ succo in turundam aptatum, in utramque narem quam potuit altissimè adegit, hocque fidum & quod, uti ipse testatur, antea etiam feliciter cesserat, habuit experimentum. *Paræus l. c.* cum *Jonston.* Ol. vitell. ovar. cum Camphora aliisque exsiccantibus & adstringentibus in mortario plumbeo ad nigredinem usque agitatatum, & in unguenti formam redactum commendat. *Platerus in Tract. de Vitiis cap. de Extuberant. Curat.* inter alia scribit: Fuligo cum fumo ab accensis suscitata, nareque affecta excepta, retenta paulisper interim respiratione, Polypo se affigens, eum potenter exsiccat, si aliquoties hoc repetatur. Talis a. à Thure, mastiche, Pice, carbo-

carbonibus injectis, excitatur, vel si candela inde cum Ellychnio indito paretur, ab eaque accensa rursusque extincta, fumus fuliginosus in nares intromittatur. Validius siccabit, si sulphur addatur, aliave metallica. Egregiè etiam carnem luxuriantem absumit, ulcera mundat, & cicatricem inducit Aqua viridis &c. *Sennert. Institut. Medic. Lib. V. Part. I. Sect. II. c. 13. Videantur Ephemerid. Natur. Curiosor. An. VIII. observat. 91.* ubi placentulæ parvæ & tenues ex mercur. sublimati optimi & viridis æris ana q. s. cum fermenti tantillo à Medico curabantur parari, harum unam parti prominenti imponi & ne decideret gossypium admoveri, escharam post horarum aliquot moram conciliatam, blande manu separari & iterum iterumque novam imponi placentulam, jubebatur, idque toties repeti, usque dum totaliter ablatus Polypus appareret, nec vestigium amplius relictum conspiceretur. *Polisius in Myrrhologia p. 178.* ait: Topica administranda hic veniunt, quæ exsiccandi virtute pollent, ubi forma pulveris omnium est convenientissima: sequentem subtilissimè tritum Polypoque adspargendum suppeditat *Weickardus Lib. c. 6. p. 109.* ℞. Vitriol. ℥ss. Alum. ʒij. Cort. granat. Gallar. an. ʒj. Myrrhæ, Aristoloch. rot. an. ʒiʒ. pulverisentur subtiliss. vel de Ungu. o cum petia linteoli aliquid naribus intrudatur, & quidem ubi inter Polypum & nares adhuc aditus patet, bis in die repetendo. ℞. Ungu. Ægypt. ℥ss. Cort. Granat. Gallar. Myrrh. an. ʒj: Ol. Vitriol. ʒss. *M. Marquardus Prax. Med. Lib. 1. c. 23.* ad humiditas excreascentias usmodi tale Unguentum proponit. ℞. Myrrh. Mastich. Thuris. an. ʒiʒ. Plumb. ust. Ceruß. lot. Litharg. Sangu. Dracon. Alum. ust. an. ʒj. balauft. flor. ʒss. Ol. rosar. Ceræ q. s. m. f. Ungu. Heliotropium pro expertissimo Polypi experimento commendat *Poterius in Observat.* *Alii* alia suadent, quorum medicam. ordine singula recensere nimis longum foret. Suadent autem multi, ut dicta medicamenta topica decreascente Luna apponantur, quo tempore minor tumor est & remedia melius atque facilius ipsi radici Polypi, cum tumor introitum non impediat, applicentur. Verùm an hæc semper ita observentur, in medio relinquo. Laudatus supra *Sturmius* ait: Oportet Medicos in curatione ægrorum ad mutationes respicere, quia morborum constitutio variat, & medicamenta si Luna plena sit fortius, si in quadraturis debilius operari solent. Uti verò hoc de morbidis

& tenellis corporibus, verum est : ita multarum rerum mutatio hujusmodi influxui tribuitur ; sed falsò. Astra non negligamus, nec nimis timeamus tamen sive in negotio genethliaco, sive in tota medendi arte, ubi & Astrorum ratio maximè cordi habenda est, quod dudum monuit Hippocrates noster. *Wedelius l. c.* Valetudinarii supra adducti, quid Astra valeant, experiuntur. Præter hæc ad varias *manuales operationes* pro extirpatione Polypi progrediuntur. Inter quas est excisio forcipe extractorio, quam operationem, *Sennertus l. c. Fabricit. ab Aquapendente in Chirurg. part II. c. 25.* accuratissimè tradit, qui & *Celsi, Pauli & Albucasis* instrumenta ac operationes, cum cautelis, quæ in illorum usu observandæ, amplissimis verbis describit. *Ephemerid. N. C. Decur. II. An. III. observat. 138.* proponunt casum, ubi præmissis universalibus, die & loco claro, ægra in sedili collocata, capite firmato, forcipe extractorio cavo & in summitate denticulato prehensus est polypus, parum circumductus & radicitus ex utroque nare avulsus. Eadem *Ephemerid. An. VIII. observat. 91.* referunt Casum ubi Sectio, ob molestissimæ hæmorrhagiæ metum, locum non inveniebat, quæ ut plurimum spontè propria accidebat, interdum tamen motu etiam vel levissimo Polypi, qui conspicuis admodum abundare venis videbatur. Commendat *Hildanus* cum *Aliis* excisionem polypi filo serico cerato vel seta equina, & *Epistolar. Centur. epist. 61.* scribit ; Incipienti polypo aliquando ad radicem illius beneficio instrumenti vinculum injeci, feliciterque ipsum filo abscidi : postea per dies aliquot exsiccantibus adhibitis medicamentis æger convaleuit. Quod si sectio facienda, ea fit vel auferendo simul cutem, maximè si pendula caro ac circa radicem tenuis sit, idque ferro, vel filo aut chorda, hacque vel simplici, vel imbuta liquore adurente ; vel dissecando cutem, carnemque conclusam postea separando & extirpando, sique venæ majores aut arteriæ subsunt, sedulò eas cavendo aut ligando. *Sennertus l. c.* Quidam narem discindunt, ut fit in equis, atque ita Polypum ferro resecant, aut cauterio absumunt. Sed tutius est, si fieri omninò possit, Polypum ligare circa radicem filo serico bene cerato aut pilo caudæ equinæ. Ita enim inter septem aut decem dies sine omni negotio excidit, nutrimento destitutus. Actuales inustionem suadent & modum describunt plurimi Auctores Medici, Chirurghi, præsertim *Glandorpius & Scultetus.*

XVII.

Excell. Dn. *Præses* Rationis ac *Experientiæ* trutina singula pro-
 pè perpendens, ut sponte *Polypus* emungeretur, ceu talem apud *Bar-*
thol. Hist. Anat. cent. 6. Histor. 30. videre est, sperare non potuit, hinc
 ad alia progressus; sed *Adstringentia, Exiccantia*, quæ aliàs e. g. succ.
granator. insp. vel Cort. granator. l. alumen ust. plumb. calcinat. &
simil. feliciter in principio Polypi mollis adhibuit, hinc insufficientia
 iudicavit, cum malum diuturnum, varia jam medicamenta eluse-
 rit. *Corrodentia* abesse voluit, ne, quod non semel contigit, excre-
 centia hæc adhuc benigna malignitatem contraheret, ne nondum
 exulcerata exulceraretur, ne cancrofa fieret. *Constrictionem* per se-
 ram equinam s. filum sericum instituendam omisit, quia ineptum
 erat ligationi, strictionis hoc corpus ob amplam radicem sive basin
 superiori nasi parte. *Excisionem* non suavit, quia ob dictam cau-
 sam simul & semel totum illud tolli non potuisset, sed tandem pro
 liquiarum sublatione potentiale vel actuale cauterium requisivisset.
 Actuale ergò *Cauterium* applicanti Chirurgo adstitit Medicus dire-
 ctor operis, ex arena cum ipso, cum præter opinionem aqua profiliens
 ferrum ignitum extingueret, consilium capiens, aliud ignitum cau-
 terium terna vice applicari curans, & quidem per cannulam argen-
 team inauratam, (cum observaverit plumbeam, per quam immit-
 tatur ignitum ferrum, aliquando incaluisse fluori proximam) nè
 eas nasi partes vel teneras aliter læsas ignis iste tangeret. Mox ab-
 stitione albumen ovi cum oleo rosato applicitum fuit, ut vasa ipso-
 rumque ductus clauderentur, sanguinis effluxus copiosus prohibere-
 tur, humorum affluxus heterogeneorum à dolore à calore aliàs indu-
 olitus (de modo hinc non philosophabimur) impediretur, præ-
 deretur, partes solidæ firmarentur. Cui medicamento succes-
 sita vocatum digestivum, quod particulas p. n. acidas imò & alca-
 les, sulphureas (nam & hæc non rarò in ulceribus ac vulneribus
 onem impediunt, si in debita significatione accipiamus) emen-
 dit, sanguinem ad appositionem debitam disposuit, simul abster-
 gendum partis fovit, Naturam vulnera curantem juvit. Tandem
 exiccantia, absorbentia, cerussa, plumb. lithargyr. tut. præparat.
 calaust. succ. plantagin. humiditates nimias sustulerunt, prohi-
 bent, sanguinem quæ particulas acres & tonum emendarunt, vi-
 derunt, poros, ductus, vasa strinxerunt, partes ipsas roborarunt.

XVIII.

Hæc de *medicamentis parti affectæ immediatè adhibitis*. Sed & alia præscripsit Medicus, *Purgans* nimirum & *V. S.* insuper *absorbentia, imbibentia, traumatica* interna, tum, ut, *Ventriculus*, ac *Viscera* cum *M. S.* ab illis, quæ, ut in superioribus diximus, adfuerunt aliena, liberarentur per *Educentia* & *Immutantia*, tum potissimum, ut *affluxus humorum à cauterio actuali aliquando causari solitus* præcaveretur, averteretur. Exhibuit primò *Spec. Jalappæ Mynsichti* ʒß. de His *Auctor* seqq. scribit *Armament. Medico-Chymico Sect. V*: Per inferiora sine molestia purgant & sanguinem mundificant. Pituitam ipsam, utramque bilem, flatus, cæterasque impuritates omnes è toto corpore educunt, & obstructions tollunt: ob id doloribus articulorum & hypochondriorum profunt. Nec hoc solum, sed & serum sive solum, sive variis particulis tinctum etiam acidioribus, fixioribus evacuant. Frequentissimo in usu cum *Ægrorum* commodo habet *Excellenti*ß. *Dn. Præses*, modò solas, modò *diagryd.* vel *rosat.* vel *sulphurat.* stimuli loco addito. Egregiè additur in hac compositione *cremor tartari*, ut stimulet, referet, disponat, *ol. cinamomi*, ut educenda immutet, corrigat, molestias ex fermentatione fusoria oriundas avertat. *Rad. Jalapp.* in se & sola etiam magno digna est encomio, quod *Clariss. Wedelius in Tract. de Facult. Medicam. Lib. II. Sect. 1. c. 5.* hisce tribuit: *Jalappa* omnium purgantium mediocrium celeberrimum, præ omnibus maximè usuale & receptum; unde pulveris laxativi vegetabilis, *phalajæ* & nominum aliorum inventiones ortæ. Non semper eget stimulo, nisi in fortioribus; sed ipsa sibi sola sufficit, modò non sit cariota, sed compacta, resinosa, nigra & particulis sulphureis, resinosis quasi resplendens. Neque correctione absolutè eget, modo corpus ipsum sit *εὐροον*, neq; obstacula secū gestet, propter quæ tormina exoriri oporteat, adeoque quod observatum fuit, ab hujus usu quosdam torminibus & cruciatibus ventris fuisse vexatos, id non tam *jalappæ*, quàm præsentis corporis dispositioni fuit adscribendum. Certè multis purgantibus palmam præripit, hinc & *Excell. Dn. D. Brotbequius, Professor quondam Hujus Academiae Celeberrimus* ad modum *Pulv. Comit. de Warwich* frequenter præscripsit, substituens *diagrydio sulphurato* in debita dosi *Jalappam*; Cujus culpa nonnunquam contingit, cum nimirum sulphureis, crudis sylvestribus, pe-

regri

regrinis, nimis resinosis, aut acidis scatet portionibus, ut præsertim tenerioris texturæ ægri inde tormina, vomitus patientur, sed aut corporis dispositio in causa est, aut hoc vitium in ipsa Jalappa corrigere licet. Nunquam tot & tales à Jalappâ, quales à *Ûrialibus* & *Antimonialibus* purgantibus funestos casus tam in infantibus quam in adultis plurimos *Experientia* monstravit. Jalappam alieno colore tinctam, alieno nomine tectam avari *Quidam Artis Medicæ Secretarii* non rarò magno cum *Lucro* ægris distribuunt. Biduo ab inde progressus est *Medicus ad V. S.* quam & in tali casu proficuum, non solum ex propria, sed & aliorum *Celeberrimorum Medicorum* experientia noverat. In sanguinea & carnea polyposa concretione ex consilio *optimorum Medicorum* & commendatione *Meckerani* in principio *V. S.* suadet *Celeb. Pechlin. Eph. N. C. Ann. 9. Observ. 26.* Hinc & *Medici* tam *Veteres* quam *Recentiores* hoc remedium in *Polypo* revulsionis gratia non infelici successu administraverunt. Huic ægræ consuluit ipsum *Medicus*, ut *M. S.* a fermento, à particulis, à textura dicenda liberaret, portione enim remota, reliqua facilius depuratur, emendatur, ut sanguinem ad *seorsum* inclinantem ad tenuitatem mobilem disponderet, ut revelleret s. affluxurum averteret, & quia, quod multum facit, *Ægra* erat assueta.

XIX.

Reliqua medicamenta potissimum præcavebant sanguinis ulcerosam dispositionem ac ejusdem justo citatiorem ad nares affluxum. *Circulus* enim haud rarò in corpore humano contingit, dum sanguis alluens ab ulcerata parte inficitur caractere s. fermento s. minis activis, s. seminio, miasmate, prout vocare libuerit, inde tota *M. S.* inquinatur, & contra talis sanguis ulceri partem defœdanti causam, materiam subministrat, qui sanguis postmodum ob vias patulas magis affluit, magis irruit ad locum debilitatum s. quacunque latione læsum. Hinc & ab ulceribus, ab abscessibus diuturnis tam externarum quam internarum partium febres lentæ, tabificæ oriuntur, non tamen omnes febres tabificas & hecticas (quas etiam in *Cura* distinguendas esse in *Colleg. privato* monuit *Excellentiss. Dn. Præses*) reciproca illatione ab abscessibus talibus ortas fuisse *Inspectiones* cavaverum accuratæ docuerunt. *Medicamenta* illa erant: *Diaphoreticum Æle*, ex *Antimon. Æte* & *Nitro*, vid. *Ludovic. Pharmac. & phem. C. N. ac Dispensator. August.* ubi & variis insignitur nominibus. *Excellent. Wedelius* illud m. vocat *Bezoardicum Æle flavum*,

vum, item Antimon. Cachecticum, quia medicamentum magnarum virium in Cachexia, Hydrope, Scabie, & ubi in scorbuto & affectione hypochondriacâ opus est sudore, reperiatur. Cl. *Wepferus Junior* in *dissert. Inaugural. de Fluxu Cœliaco*, refert, *Venerandum Dominum Parentem* suum multiplici praxi sæpius præstantiam hujus medicamenti ad dissolvenda glutinosa & obstructions referendas esse expertum. vid. *Emanuel. König Regn. miner. Sect. II. c. 4. p. 38.* ubi compos. & vires hujus egregiè conscriptas invenies. Contra texturam sanguinis ad exulcerandas partes pronam, felici frequentia suadet Excell. Dn. *Præses. Lapidillos cancerorum* contra ulcera non solum ob vim exiccantem à multis *Auctoribus* commendatam, ob vim præcipitantem sed & balsamicam laudat *B. Sachsus in Gammarolog. p. 83. Ebur phil.*, ut vocare amant, *calcin.* quam promptè varias in corpore hærentes particulas heterogeneas, acres absorbere, infringere & mitigare soleat, satis constat. *Tabula manus Christi perlata* tam ob gratiam & faciliorem pulveris cum vehiculo mixtionem, quam ob vires quibus abundè se commendant, dictis additæ fuerunt. *Agrimoniæ, Græcorum & Dioscoridis Eupatorium* esse statuit *Simon Pauli in Quadrip. Botanic. Class. III. p. 295.* ubi & scribit: Nulla ferè plantarum est, quæ Hippocrateo novo, aut novello Medicinæ Studio, plus negotii faceffere solet, quam Eupatorium. Etenim docetur aliud Græcorum & Dioscorid. aliud Avicenn. aliud Mesues esse Eupatorium &c. Sed cum institutum meum non ferat, Botanicorum conciliare sententias, mittam controversias, Botanicis ipsis has decidendas relinquens. Sufficiat hîc, herbæ hujus vires vulnerarias, aperientes, detergentes, leviter adstringentes, in ulceribus, tabificis febribus, hydrope, cachexia, Lue Venerea &c. ubi acrimoniæ potentissimè tollit, indicasse, esse summas. Ulcera varia, pertinacia, fistulosa, interna & externa invicem communicantia sustulit Excellent. Dn. *Præses* per DEI Gratiam valdè diuturno Agrimoniæ cum toto & aliorum auxiliarium usu. *Plantago*, ob easdem, quas cum Agrimonia participat & alias, quibus præ aliis eminent, viribus, planta sanè laudata est: Succurrit n. internè omnibus alvi fluxibus, hæmoptysi, herniis, gonorrhœæ, mictioni involuntariæ, mensium nimio fluxui, febribus &c. Vulnera, ulcera inveterata consolidat, mundificat. vid. *Celeb. Francus in Flora sive Lexic. Plantar. p. 113.* Ait & modò laudatus *Simon Pauli*: Utuntur Medici Plantagine ad omnis

eneris inflammationes externas, internas, febres tertianas, arden-
 tes, ulcera serpentia, vetera, recentia, vulnera item cæsim infli-
 ta, quæ si non alte descendunt, vel succo Plantaginis, imò foliis
 rudis impositis, sæpè auspiciato satis consolidantur, quæ etiam
 post usum Vesicatoriorum dolores mitigant & pustulas arte prolici-
 s sanant. Non ergo alius nisi exoptatus eventus sperandus, si po-
 nibus vulnerariis plantaginem misceamus; partim ut ea febrim
 mptomaticam vulneratorum prohibeamus; partim quoque ut il-
 us beneficio, vulnus ipsum ocyus glutinemus. *Hypericon, Her-*
perforata, de qua superstitiosas nugas, aliasque veras vires hîc re-
 nsere super sedemus, summè vulneraria ac epulotica est, adeò ut
 ligus etiam in consolidandis vulneribus de hac herba ejusque oleo,
 aterare norit: Ad sanguinis concretionem prohibendam, solven-
 am, dispositionem ulcerosam sive fermentum exulceratorium in-
 ingendum, enervandum balsamicis particulis egregiam confert
 peram. Nec *Aquas* ex hætenus laudatis *destillatas* omni carere
 udata vi, sola sua dictatura nobis persuadebunt nil nisi spirituosas
 epantes *Quidam*. Manet sua Laus Spiritus, manet etiam minùs
 irituosa, non tamen omni activitate destituta. *Syrupus Byzanti-*
es in dispens. Augustano descriptus hîc ob acidarum, fixiorum, visci-
 orum, terrestrium particularum incisionem, attenuationem, reso-
 tionem, correctionem juvit.

XX.

Denique *Fonticulus* inductus fuit magno cum ægræ commodo.
scribunt hodie *Auctores Quidam* Fonticulos pluribus inducti ra-
 onibus. Quas inter potissimæ sunt: Novum est hoc remedium,
 quo *Hippocrates* ne verbum quidem scripsit, nec *Alii Auctores*
terres: Nihil profunt, cum è majoribus vasis nihil educant, sed
 tem ex exiguis capillaribus, hinc nulli usui, neque evacuando, ne-
 e revellendo &c. inserviunt: Materia morbifica latet aut in par-
 cui inducitur fonticulus, aut alibi; si in parte, ob debilitatem à
 nticulo inductam non evacuatur, sed potius cumulatur; si alibi,
 us hic evacuationi aptus non est: Sanguis in partis substantiam
 insmutandus, nutrimentum suppeditaturus corrumpitur in ulce-
 qui educitur, prætereaque nihil: Non evacuant causam hujus vel
 us morbi, ut Fonticulorum Hostes loquuntur, characterisati aut
 embri errorem: **DEUS & Natura** imperfectionis accusantur,

ac si pro educendis excrementis vias sufficientes in homine non ordinassent: Molestias, incommoda plura, inflammationem, gangrænam &c. post se trahunt fongiculi. *Verùm*, magnum abusum fongiculorum à Medicorum Simiis committi concedimus, omnem tamen eorundem usum ablegare rationes adductæ persuadere non valent: Nam *καυτήρα* suadet *Hippocrates*, ustiones commendat *l. 1. & 2. de morb. Lib. de intern. affect. l. 5. aphor. Ægyptii, Hetrusci, Scythæ, Graci, Arabes, Latini Veteres* iis usi sunt, & posito: Si consequentia procederet: *Hippocrates* de hoc remedii genere nihil scripsit: *E.* non conducit, non est adhibendum. Quot remedia Istorum, qui fongiculos proscribunt, proscribenda essent? Ducunt immediatè ex vasorum in parte sanguivehorum, lymphæ ductuum, glandularum oscillis, ostiolis, mediatè ex tota *M. S.* nec solùm sanguinem parti debitum corruptum: Consequentia de loco educationis formata utraque nulla est: Etiam si non semper proximam & immediatam *Causam*, tamen mediatam & antecedentem educere valent: Sani strictè dicti fongiculis opus non habent; Aliis verò utique emunctoria non in prima nativitate data conducunt, quod paracentesis, abscessuum apertiones &c. docent: Incommoda, noxas non auferre solùm sed & præcavere potest Medicus: Molestiæ tantæ non sunt, ut commodum superent, imò, si quid adest molestiæ, consuetudo obliterat. Videatur *Beati Dn. D. Metzgeri Præceptor. quondam fidelissimi, exactissimè & per quam eruditè elaborata disputatio de Fongiculis, ubi ea quæ auctores hinc inde de fongiculis latè ac diffusè tradunt, in conspectum simul dantur.* Videatur etiam accurata *dissertat. de Fontanellis Marburgi habita. Celeb. Langelott*, ut in *Ephemerid. N. C. An. IX. observat. XXVI. refert Cl. Pechlin*, curavit polypum molestissimum solo fongiculo, quamprimum enim sanies fluere cæpit, statim magnitudo polypi contrahi ac paulatim concidere visa, usque dum ægra à portentoso ac molestissimo nævo penitus liberata fuerit. *Dieta* in *Cura* hætenus descripta non neglecta fuit ab *Excell. Dn. Præside*, quod monitum velim, non tamen adstrinxit *Ægram* ad strictissimas *Regulas*, nec nimis laxiorem suadendo indulgit. Hæc pro Expositione *Casus* propositi scopo sufficiunt meo. *DEO Triuni sit Honor, Laus & Gloria in seculum seculi.*